Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1555
Quelle:
Copyright:

Allegoriam jam *Vol.* I. P. II. *col.* 3355. referrem, satis incassum me torsi de Autore; nec modo doctior sum.

DCLXV.

R. 2005 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 130. f. per duas columnas, maxime prima sui parte, nitide exaratus, literisque initiorum deauratis et picturatis speciosus, ac olim *domus Orti beate marie prope pragam ordinis Carthusiensis* ita orditur: *Incipit tractatus peroptimus Richardi de contemplacione beniamyn.* Est is *Richardus* ad S. *Victorem Parisin.* Canonicus reg. 1173. vivis exemtus. In edit. *Operum* ejus *omnium Colon.* 1621. 4. *Benjamin* hic in *Minorem* et *Majorem* distinguitur, et *Minorem* quidem jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 2127. dedi; in praesenti vero Codice indiscriminatim decurrunt. *Minor* nullo Capitum Elencho instructus incipit: *Beniamyn adolescens in mentis excessu. Audiant adolescentes sermonem* &c. *Major* quinquepertitus non tantum Elenchum Capitum omnium V. Partium praemittit, sed ad singulas etiam Partes repetit. In edit. *cit.* inscriptus *de Gratia Contemplationis* nullo hic peculiari titulo gaudet, sed C. I. insignitum: *De contemplacione eiusque commendacione*, incipit: *Misticam illam moysi archam libet si liceat ex inspiracione illius munere* &c. Opus integrum est, Textus vero ad Editionem *cit.* foret elimandus. Ad calcem Librarius alium *Richardi* Tractatum *De exterminatione Mali et promotione Boni* addere parabat; verum scripto jam Capitum Syllabo mutavit consilium.

II. *fol.* 71. succedit *Speculum seu Manuale beati Augustini.* Init istud: *Adesto mihi verum lumen deus pater omnipotens* &c. et prostat inter *Augustino* falso tributa T. VI. edit. *Maur. Append. col.* 145. ipso *Alcuino*, cujus refert sententias, tempore posterius, ut pluribus *Admonitio l. cit.* praevia.

III. *fol.* 81. *Incipit praefacio venerabilis Johannis heremite qui cassianus dicitur in libro de institutis cenobiorum et octo principalium vitiorum remediis ad papam castorium.* Ita: *Ueteris instrumenti narrat ystoria sapientissimum salomonem* &c. Opus ipsum XII. Libris constans: *De institutis ac regulis monasteriorum dicturi unde competentius* &c. Textus collatus cum edit. quae *Lipsiam*, *Wetstenios* et an. 1733. praefert, non spernendas quasdam lectiones offert, quarum specimen e L. I. c. 2. dabo:

Codex	Editio
auctoritas monstrat	*auctoritate monstratur*
virginitatis iam purae	*virginitatis jam flores*
in quo consederat	*in quo conciderat*

birsuti